

to, & quibus lux illa vera, quæ omnem illuminat hominem, qui venit in mundum, efficienter præfulsit, refulgebunt, nosque manu veluti deducunt ad Unius Dei Optimi Maximi notitiam. Id quod eò confidentius dixerim, quòd Deum, qui lucem incolit omni luce clariorem & inaccessam, mortaliū nullus contueri potest & vivere, & unâ proinde exceptâ revelatione, omnis quæ de Deo habetur cognitio, à posteriori ut loquuntur Scholæ, sive ab effectis petenda venit. Singuli namque, etiam notissimi naturæ effectus miracula sunt & potentia suprema, Sapientia altissima bonitatisve immensa indicia clarissima. Sive enim supra sive intra hunc terrarum, ac marium globum animos cum oculis diffundamus, curioseque generatim cuncta spectemus, sive speciatim in opera Dei singula singulariter inquiramus, relucens ubique Altissimi dextram deprehendemus. Unde *Tertullianus libr. de resurrectione carnis*: præmisit Deus naturam magistram, submissurus Prophetiam, quò facilius credas Prophetia discipulus naturæ. Nequaquam autem naturæ notione ens quoddam Dei vicarium, vel ei subordinatum, quod vigil, quod providum, sapientissimum atque beneficum à vulgò dicitur, cum iis intelligendum, qui in assignandis naturalium phenomenonum causis, ad idolum huiusmodi & ignorantia turpissimum asylum temerè confugiunt, parum certè memores Dei sui, qui Solus omnia fecit in omnibus: Ego sum Dominus, inquam, faciens omnia, extendens cælos Solus, stabilis terram, & nullus mecum, *Isaie c. XLIV*. Sed rectius natura ars Dei in creaturis à *Platonis* definitur, cum aliud nihil notet præter ipsam universi fabricam, sive effectus motus illius ordinisque, quem huius universi & creaturarum omnium actionibus ipsa divina sapientia præstituit, qui proinde vim quandam divinam æternamque & sapientissimam evidentissimè testantur. Etenim quum jam in confesso sit apud cordatos omnes, magnum hoc atque mirabile mundi automaton, quantum quantum est, ex materiâ

con-